

349474


Kalkomp



Mag.

St. Dr.









**EPISTOLA  
RESPONSORIA**

**AD IRREGULAREM  
REFUTATOREM  
MEMORIALIS AD  
STATUS REGNI,  
DIRECTI.**





Omnibus præsentem Lecturis Pacem &  
Salutem in Domino.

**C**redidiffem amice Lector, impium Quisquiliarum  
Sciolum, mendacem Gallomachorum Scriptua-  
rium, mutum inter mænia Gedanensia, ceu ca-  
stra Lublinsia, hætenus latitantem, aut tormen-  
torum reboatu emortuum? aut aliõ quovis malõ Fatõ, ad ab-  
dita abreptum? jam pænas luere pro peccatis, nisi refutatum à  
se Memorale, à Legum memoribus & Patriæ Civibus, ad Am-  
pliffimos Regni Poloniae & M. D. Lithuaniae Status, sub Augustis-  
simis, Felicissimæ Coronationis Serenissimi AUGUSTI III.  
Feriis, Cracoviâ directum, hunc simulatum Pauperem Matris  
DEI, superstitem indicasset. Quem itaque ab inferis redivivum,  
pro consolatione, desperatis partium Stanislai Actoribus, Patro-  
num; Factioni Primatiali Tutorem, suis Quisquillistis Socium;  
ac mihi æmulum gratulor supervivum. Cum quo equidem non  
injudicandum mihi foret, ac volupe certare, si non à malè feriato  
Scholari, (mihi enim cum viris agendum est) petulanti conten-  
tione, ingenii exercendi ostentandique gratiâ, ad Rhetorum de-  
cla-





2

clamaciones, Poëtarum deliria, quibus vulgo rerum imperito placere studet (quæ ego pueris in scholis relinquo decertanda) me probè scirem provocari. Cum quo (ut verum fatear) nec libet nec etiam par est calamo indulgere. Denique: cùm ejus argutiæ, sophismata, & repudii Libelli, alibi & ab aliis, jam pridem ad sufficientiam sint refutati, repudiati, & ad pali-nodiam damnati, ut nullum jam artificium aut ingenii iniquitas obstet, quo minùs apertè videant, per conjuratos, in veterem Regni Usurpatorem, affeclas, spretis Divinis humanisque Legibus, dignitatem, jura, privilegia, libertates Poloniae convulsa esse, nihil reliquum est ad videndum, quod visum non sit? nihil patefaciendum, quod non patefactum sit? nihil legendum, quod non sit lectum? nihil scribendum, quod non sit scriptum? ita, ut non opus sit, per eadem sæpius repetita, plus crambem in ore legentium repetere. Maxime, cùm jam cooperante Gratiâ DEI, (*per quem Reges regnant*) miserorum calamitate deplorata Civium cæcitas, depositò cordis velamine, in cognitionem & recognitionem Unius, Veri, & Legitimi Regis Poloniarum AUGUSTI Tertii, impulsâ, Dominum suum agnoverit, altò silentiò omni contentioni, liti, jurgiis, & controversiis, Herculeum *non plus ultra*, parte ab utraque prædefinitum. Quod ne tu licentiosè Garrule (nisi te ipse vis ire perditum) & religiosæ modestiæ limites, plus ultra excedere contendas tuò cerebellò, admonitum te scias cum Phormione: *DEI quippe ministrum vagis mundi cogitationibus vacuum, & sanctis intentionibus plenum esse oportet: tantò enim quis melior religiosus habendus, quantò minùs turbarum mundi gnarus est. Religiosorum status poscit ut inclusi* (non cum armatis latronibus Patriam devastantibus huc illuc divagantes) *pacificè & tranquillè vitam agant: alioquin enim religiosus Apostata habetur Spiritualis.* Religiosorum quip-  
pe



pe bonorum manus laboribus; corpus jejuniis, linguam precibus  
 (non calumniis, mendaciis, detractionibus) animum contem-  
 platione occupari par est. Nam si Cives in sanguine effundendo  
 occupantur, religiosum probum fundendo lacrymas, pro peccatoribus  
 occupari conerit. Et hæc sit tibi nunc adæquata responsio,  
 ad futilem & inanem, omni prorsus responsione indignam Tu-  
 am refutationem, barbarâ & insensatâ Musâ concinnatam. Sit  
 (inquam) tibi instructio hæc pagina, Vocationi tuæ & Statui per-  
 quam conveniens & salutaris. Disce hinc piè & religiosè vive-  
 re: *Diverte à malo & fac bonum, inquire pacem & persequere*  
*eam.* Da DEO & Regi Honorem & Gloriam. Postremò;  
 sit tibi pro complemento hujus Epistolæ, memoriale cordi &  
 menti altè inferendum: *Bella viri pacemque gerant, sua tem-*  
*pla Sacerdos curet.*

Vale si te valere cupis  
 mpp.

Datum Idibus Julii  
 1734.

P.C. Benevolus Lector dignabitur hæc dicta ad instructionem  
 unius, etiam alteri ejusdem figlinæ magistro, non mul-  
 tum inter se discrepanti socio scelerum, Pædagogo Pri-  
 matiali, proportionatè applicare; cui ego pro memo-  
 riali, jucundum illud cum Kochanovio occino carmen:  
*Tu ne lude DEOS sed srogum vara piorunum.*





Biblioteka Jagiellońska



stdr0023257



